

88. Guatrius.

Tertio. Guatrius Abbas serm. de Ascens. Quid putamus fratres, ait, quomodo tunc repente de terris ad caelos euolare poterimus, qui nunc exercitio, & usu quotidiano uolitare non didicimus? Nunquid non Christus, sicut aquila prouocat ad uolandum filios suos, quando super eos uolabat. Deut. 32. Pulchre iusti sub Christi disciplina cum aquila comparantur, nam Christus sic nos prouocat ad uolandum, sicut aquila prouocat pullos suos, & quomodo prouocat? Ne subito ab sublimia ferantur, sed ut per dimissos uolatus quotidie exerceantur, ut postmodum possint ad alta, & sublimia ascendere. Vide in Indice Paulatim.

89. Chrysof.

Quarto. D. Chrysof. homil. 24. in 1. Corinth. Aquilas autem appellat, ut ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere esse commune, neque ad inferiora trahi, & reperere, sed ad superiora semper uolare, & in solem iustitiae intrare, mentisq; oculum acutissimum habere. Conuolantes ad corpus Christi aquilas dicit, non uero columbas, vel turtures, quia qui ad corpus Christi conuenit, necesse est, ut ad alta tendat, terrenis renuntiet, & totus diuinis sit intentus.

90. Chrysof.

Non omitam id, quod aduertit citat. Chrysof. Velimus, ait, unitatem seruare, ad hoc enim nos inducit sacrificium istud formidandum, & admirabile, quod iubet nobis, ut cum concordia, & charitate maxima ad te accedamus, & aquile in hac uita facti, ad ipsum caelum euolemus, uel potius supra caelum. Vbi enim cadauer, illic, & aquila. Cadauer Domini, corpus propter mortem. Aquila, ac passeret ad cadauer, seu praedam uolantes maxime inter se pugnant rostris, & unguibus, & unaquaque aduersus aliam insurgit, ut quaelibet praedam totam suam faciat; unde ergo aquila hic uolantes maximam concordiam, ac unitatem inter se habent; sine dubio ex halitu ipsius corporis Christi, cuius gustus in mensa sua, ingerit maximam unionem, ac concordiam, & omnem separationem, ac diuisionem excludit, & abigit. Ut cum concordia, & charitate maxima ad te accedamus.

91. Origen.

Quinto. Origenes homil. 30. in Matth. Vbi cumque, ait, fuerit, quod secundum dispensationem passionis eius, cadauer eius, illic congregabuntur, non qualescumque, sed aquila discipuli. De quibus etiam propheta dicebat: Pennigerabunt sicut aquila, & current, & non laborabunt. Aquila sunt, qui ad cadauer, ad Christum nempe mortuum uolant, & cur aquila? Aquila uelocissime omnium uolant, sic Sancti post Christum passum uelocissime labores pertranseunt, ut non videantur laborare, sed per labores uelocissime currere, ac pertranseunt. Ut aquila, & current, & non laborabunt.

92. Exod. 10.

Regnante Pharaone in Aegypto: Facta sunt tenebrae horribiles, Exod. 10. n. 22. Quae perdurauit per tres dies integros. Ut tradunt Abulens. Lyran. Carthuf. Cornel. & alij. Regnantemque Assuero seuerissima mortis sententia contra Iudaeos profertur: Fuitq; dies ille tenebrarum, atque discriminis, Esther 11. n. 8. Cum Iesus esset crucifixus in monte: A sexta hora tenebrae factae sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam, Matth. 27. n. 45. Quid est, sub Pharaone, ac Assuero dies sunt tenebrarum, ac laborum, at cum Christus crucifixus apparet, breues tres sunt tenebrarum horae? Ante Christum crucifixum longissimi erant dies tenebrarum, at cum ipse in cruce ante oculos esset, sic omnes labores abbreviantur, ut iam non sint dierum, sed horarum, sic enim ipse in se omnes

Esther 11.

Matth. 27.

Christus sua morte nobis labores horarios reliquit.

labores assumpserit, ut eos nos omnes horarios fecerit; & cur sic breuium horarum? Ipse de mortis horrore sibi tres dies assumpsit, ut nobis laborum tenebras tribus horis conclusas relinqueret. Sedulius lib. 5. Pasch. cap. 16. Quamquam caelo, ait, terraeq; fugitiuum lumen abscessit; non tamen diuini in hac remotione permansit; per ipsa temporis interualla suspensi magno uisum conuenire mysterio. Et rationem apponit: Nam sicut tribus horis mundi facies tenebris oppressa subiicitur: ita Dominum triduo clausum tumuli sepultura contexit.

Sedulius.

QUESTIO XIV.

Quare cum uultures, corui, ac alij passeret currant ad cadauera, tamen hic solum de Aquila fit mentio?

RESPONDET primo D. Ambros. lib. 4. de Sacrament. cap. 2. Bone aquila, ait, circa altare, ubi enim corpus, ibi & aquila. Forma corporis altare est; & corpus Christi est in altari, aquila uos estis. Et in cap. 17. Luc. ait: Est corpus, de quo dictum est: caro mea uere est cibus. Circa hoc corpus uera aquila sunt, quae alis circumuolant spiritualibus. Corpus est, corpus Christi in altari, tanquam auis in nido, ex cuius diuino pabulo fideles omnibus caelestibus bonis, tanquam pennis, ac alis plumescunt, ut alites facti ad caelestia, euolent; & ideo etiam aquila dicuntur, quia aquila altissime uolat, ut dixi ex Chrysof. superiori quaest. Qui ad hoc corpus accedit, nihil ei cum terra debere esse commune. Ut ibi expendi. Vide cap. 9. num. 82. 83.

39. Ambros.

Ex Christi in altari fides, ut aquila uolant in sublime.

Secundo. Origenes homil. 30. in Matth. Non dixit, ait, ubicumq; fuerit cadauer, congregabuntur uultures, aut corui: sed uolens ostendere magnificos, & regales esse omnes, qui in passionem Domini crediderunt, proprie dixit congregabuntur, & aquila. Ad cadauer currunt aquila, currunt & uultures, ac corui, cur caeteri omnes aquila tantum dicuntur ad cadauer congregari? Sermo erat, non de quolibet cadauere, sed sacratissimo corpore Christi, & qui ad hoc corpus uolant, hocque sacratissimo pabulo reficiuntur, etsi corui, ac milui, ex hoc tamen sacratissimo pastu aquila fiunt. Aquila, ut testatur Plinius lib. 10. cap. 3. uolucrum regina habetur. Equidem diuinus Agnus occisus quos pascit, aquilas creat, homines nimirum, regali dignitate, ac spiritu sublimes, ut calcantes saeculi principatum, super omnia terrena dominantur, & regnant. Vide cap. 2. n. 112. & cap. 27. n. 157. & uide tom. 3. cap. 35. quaest. 18. n. 123. 124. 125. 126. 127. 128.

94. Origen.

Qui corpus Christi pascuntur reges fiunt.

Plinius.

Tertio. Congregabuntur & Aquila; quare non dixit coruos, sed uultures, qui etiam de cadaueribus pascuntur? Notat Albertus Magn. lib. 23. de Animalibus, quod Aquila solitaria uolant, at corui, & uultures ad cadauera turmatim aduolant; deinde corui animalia sunt immunda, ut notat D. Chrysof. homil. 26. in Gen. ad illa uerba: Misi coruum, qui non est reuersus, Gen. 8. n. 7. Sic ait S. Pater: Quare non rediit coruus? Fortasse cum sit auis immunda, incidens in cadauera hominum, & brutorum illis tanquam inuenit sibi congruo cibo, insedit. Uultures etiam adeo sunt immundi, ut testatur citatus Albert. Magn. Vbi nidificant uultures,

95. Alb. Mag.

Chrysof. Gen. 8.

Cum multa puritate, ac munditia ad sacram Eucharistiae accedendum.

terra feret ex cadaueribus, ibi comportatis. At uero Aquila ita pura, & munda sunt, ut dicat citatus Albertus. Aquila mundissimum, utpote gemmiferum nidum habent. Aues, quae ad Christi cadauer uolant, aquila sunt, quae solitariae, ac separatae ab omni mundalium consortio uolitant, & ad Christum ueniunt. Habentq; Aquila nidum gemmiferum. Nam locus, ac animus sacrae Eucharistiae continens, & recipiens debet esse mundissimus, ac nitidissimus omni uirtutum gemma, & a quacumque sordide, ac quouis faetore expurgatissimus, maximeque conspicuus, ac odoriferus omni odore bono. Vide supra cap. 4. n. 54. & cap. 27. n. 92. & 95. & n. 167. & 168. 169. & multis aliis in locis. Et tom. 3. in Indice, Verbo Eucharistiae. Dispositio, seu praeparatio ad illam.

96. Anast.

Paulin.

1. Reg. 4.

Damian.

97. Psal. 22. Hebr.

Incognit. Eucharistia refecti fuerunt demones.

98. Ierem. 1. Exod. 16.

Ex mensa Eucharistica depellitur demones frigus.

Quarto. D. Anast. Synaita in Exameron lib. 7. Ha sunt, ait, uolucres, quae rapiuntur in nubibus obuiam Christo, de quibus etiam dicebat: ubi est corpus, congregabuntur & aquila, quae supplantatorem nostrum suffocant. D. Paulin. Epist. 9. ait: Cum hoc pane saginamur, serpens tabescit. Aquila ualde terribiles sunt serpentibus, indeque serpens ab aquilarum conspectu maxime fugit, ex quo fideles ad Christi mensam conuenientes aptissime aquila dicuntur, nam ex hoc diuino cibo maxime serpenti uenoso efficiuntur formidabiles, ut ipsum conculcare ualeant, ac fugere faciant; dicebant olim Hebraei: Adferamus ad nos arcam foederis Domini, & ueniat in medium nostrum, ut saluet nos de manu inimicorum nostrorum, 1. Reg. 4. n. Arca umbra sacrae Eucharistiae, ueniat in medium nostri, in cor nempe nostrum, ut saluet nos ab incursu omnium inimicorum nostrorum. Petr. Damian. ad illa uerba: Qui manducat meam carnem. Sic ait: Terretur aduersarius noster diabolus, cum Christiani labia Christi uidet cruere rubentia. Agnoscit enim profecto suae prodicionis iudicium, & diuinae uictoriae, quia captiuatus est, & obstrictus, non tolerat instrumentum.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me, Psal. 22. n. 5. Quenam mensa est haec, quam praeparasti, seu ut legitur ex Hebraeo, Ordinaisti; mensa nempe sacrae Eucharistiae est, ex cuius conspectu sic corroborantur fideles, ut ualeant vires suorum inimicorum, demonum nempe frangere, ac superare. N. Incognitus: Per mensam accipe communionem Corporis Christi iuxta illud: Ego dispono uobis regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam: aduersus omnes, &c. aduersus demones, unde sicut indignis summentibus corpus Christi, magis nocere potest diabolus; in cuius figuram de Iuda dicitur, quod post communionem introiit in eum Satanas, scilicet ad ipsum magis possidendum, si indignis sumatur: fugat demones, & nos aduersus eos facit fortiores.

Ait Ierem. 1. n. 14. Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terra. Cur cum hoc propheta dicat, mandat Deus Moysi: Pones contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis, Exod. 26. n. 35. Si omne malum est ab Aquilone, a demone nempe suggestionibus, quas Aquiloni frigido perfimiles animis hominum ipse inspirat, cur ergo ad Aquilonem constituitur ipsa mensa cum panibus? Aptissime sane mensa Eucharistica, quam adumbrabat antiqua mensa, contra Aquilonem statuitur, aduersus frigidum Aquilonem praeparatur. In hac mensa calidi sacratissimi panes, amore flagrantem proponuntur, animos fidelium incen-

dentem, ut rite communicans, ignem inspirans, contra frigidum Aquilonem, seu diabolum poterit insurgat dicente D. Chrysof. homil. 61. ad populum: Tanguam Leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles.

Chrysof.

QUESTIO XV.

Quare cadauer hic proponitur, ad quod aduolant Aquila?

UXTA lectionem Graecam legitur: Vbi fuerit cadauer, ibi congregabuntur & aquila. Mira, & cupiditate, ac celeritate ad loca ubi cadauera iacent, aquila rapiuntur. Ita ut dicat D. Hieron. Epist. 61. ad Pamachium: Aquila, & uultures transmarina cadauera sentiunt; & ut addit eius Scholias: Triduo prouolare dicuntur, eo, ubi cadauera sunt suua. Quamquam Aquila in arduis ponat nidum suum: & in petris maneat: & in praeruptis silicibus, atque in accessis rupibus commoretur; tamen, ut ait Iob 39. n. 32. Inde contemplantur escam: & de longe oculi eius prospiciunt, & ubicumq; cadauer fuerit, statim adest. Ab illa altitudine se demittit aquila, & totum illud spatium incertum uelocissime transuolat, & improuise adest corporibus, quibus inhiaet, illisque voracissima incumbit, tanto illius desiderio exardescit; talem sui sacratissimi corporis cupiditatem in suis fidelibus futuram Christus Dominus significat, dicens: Vbi fuerit cadauer, ibi congregabuntur & Aquila.

99.

Hieron.

Iob 34.

Sancti maxime auiditate feruntur ad Eucharistiam.

100.

Psal. 39.

Hebr. 10.

August.

101.

Secundo. Dicitur cadauer, denotat corpus Christi in Sacramento Altaris, quod sub representatione mortui pro nobis oblatum proponitur, & hoc corpus sine dubio est illud, quod pro omnibus antiquis sacrificiis Aeterno Patri in sacrificium immolatur, iuxta illud: Sacrificium, & oblationem noluit, aures autem perfecisti mihi, Psal. 39. n. 7. Seu ut legit D. Paulus Hebr. 10. n. 5. Corpus autem adaptasti mihi. Quod explicans D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 20. Pro illis omnibus oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Ad hoc ergo unum corpus pro omnibus sacrificiis repositum in perpetuum sacrificium maxima auiditate, ac celeritate conuolant fideles.

Tertio. In praesenti facit Dominus mentionem de aduentu suo ad iudicium, inde se cadaueri confert ut ostendat, quanto cum merore, ac luctu opus illud exerceat, seque ad iudicium, quantum in ipso est, tanquam ad funus, ac sepulchrum effert; & quamuis uenturus sit cum uirtute multa, & maiestate, omnem iudicis apparatus, funebrem pompam, omnemque illam maiestatem quasi cadauerosam rem sibi uideri; cum ipse totus propensus sit in misericordiam, ac pietatem. De ultima die iudicij interrogatus Dominus a suis discipulis, ait illis: De die autem illo, uel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater, Marc. 13. n. 32. Matth. 24. n. 36. In rem nostram, ait Palatius: Non nouit, ait, diem ira ipse clemens, neque diem furoris ipse pascens: nouit sane diem illum, sed non nosse dicitur, quia dolet, refugit, exhorret; plane cum Christus primum uenit, non uenit, ut iudicet, sed ut saluet. Saluator igitur nescit iram, non nouit furorem. Christus Dominus, cum in eo sint omnes thesauri Sapientiae Dei, optime scit, & agnoscit determinatum diem iudicij, & quamuis in eo uenturus sit cum magna gloria,

DDdd 2 gloria,

Syluerra in Euang. Tom. IV.